

ventu: comperta & comprobata forent, totuplici regressu demonstrativo, aquaz pondus & gravitatem, quam in loco etiam proprio exerceat, itemque vim & potentiam aeris elasticam evidentissimè esse confirmatura.

A D PHÆNOM. X. Cùm tota nostra machinula Urinatoria Phæn. VIII. descripta nil nisi scyphus inversus fuerit, h. l commode commemorabitur, quod tum fueramus oblitī ; accensam nempe cerei particulam in manus Urinatoris nostri nos dedissemus, visuri, numquid ignem quoque salvum vivumque ad vasis fundum per aquas medias esset delaturus, prout de suis Græcis narrantem suprà audivimus Taisnerum ; sed eventum tum expectationi neutquam respondisse, extincto quippe ante cereo quām tota aquas subiisset machina. Verūm cum hæc scribo, & causam extinctæ tam citè flammæ in parvuli scyphi angustiam conjicio, gestit animus eju dem rei denuò facere periculum, ampliore quodam vaseculo adhibito. Poculum igitur vitreum cylindroformē arripiō quod undecim circiter digitorū profunditatē & amplitudinem quatuor digitorum habebat, firmatoque intra cavitatem ejus, tribus & quod excurrebat ab orificio digitis, transverso tigillo acoensem superimpono cereum, meroque mox ita inverlo scypho, sartam rectamque flammarum non tantum per aquas medias intra vas Vitreum aliud descendere, sed & notabilis temporis intervallo ibidem perdurare non sine luptate conspicio : Simul illud quoque, reducto ad summitatē aquæ poculo, notans quod circa Campanæ urinatoriæ emersionem paulò ante ad V. Phænom. è Sinclairo notavimus, emergentis poculi labris aquam summam ita adhæsisse ut aliquousque suprà reliquam ejus superficiem elevata, non nisi violenter inde divelleretur ; quia scilicet aer interior à flamma cerei calefactus magnam sui elaterii partem jam ante submersionem perdidera, adeoque externi salvo & integro adhuc elatere viribus jam erat multò inferior. Cujus rei indicium habebamus manifestissimam aeris introrumpentis flatum quendam, qui lychnum accensum, postquam ad summa jam rediisset, tum demum extinguebat, nislentissime scyphum ab aquarum illa appendicula liberaremus.

Est autem hoc loco illud quoque notandum, si fuerit Campana vitrea paulò amplior, non difficulter aerem intra quædam vasecula per aquas demitti, ibidemque, reclusis hisce sub Campana, ope incurvæ cujusdam forcipulæ, Phænomeni VII. oculare specimen edi posse.

A U C T A R I U M II. T E N T A M I N I S.

AD PHÆNOM. VIII.

IT certius constet de iis quæ hoc octavo & sequentib[us] duobus Phænomenis exhibentur, eadem à priori quoque & è proximis suis causis deducere h[ic]